OBSERVATIONES
QUAEDAM
IN UTERI MORBOS ORGANICOS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-ANATOMICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE III. M. MAJI A. MDCCCXXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FRIDER. AUGUSTUS MORITZ

MARTISBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

EW. SCHMIDT, MED. DR.,
C. RUST MED. DD.,
ED. STRASSBERGER, MED. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

V I R O

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO

F. A. SCHULZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, INSTITUTI MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI SECUNDO, MEDICORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITI ETC. ETC.

FAUTORI ET PATRONO

SUMMOPERE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Uterus, cujus quidem penitiorem cognitionem anatomorum studiis diligentissimis, inter quos *Albini*, *Roedereri*, *Hunteri*, *Walteri*, *Sandifortii*, *Cruikshankii*, *Mascagni*, *Osiandri*, *Rudolphii*, *Ribkii*, *Joergii*, *Tiedemanni*, *Meckelii*, *Bockii* nomina excellunt et praelucent, debemus, functionibus suis innumeram phaenomenorum seriem offert, quorum causam e structura ipsa deducere non possumus, nisi turbam hypothesium haud minorem, re vera constitutarum, statuere velimus. Quantus sit nexus, qui ipsum inter totumque corpus muliebre intercedit, inter mulieris vitam eo minus in lucem prodit, quo magis ceterorum organorum functiones confirmatae et normales, normali hujus uteri statu, videntur, eo magis autem in conspectum venit, quo magis turbatae phaenomenis morbosis apparent ejus functiones. Quorum quidem omnium phaenomenorum causas anatomus, licet aliunde neutiquam sint petendae, ne accuratissima quidem et diligen-

tissima hujus organi disquisitione explicare potest, neque physiologo et medico aliud quidquam restat, quo illa explicet, nisi his factis de consensu uteri maximo cum organismo universo, qui, quamvis explicari nullo modo possit, tamen revera exstat, ejusque haud raro detrimentum propriae uteri vis vitatis secum trahit, sibi habeat persuasum. Certissime concipiendi facultate et speciem suam propagandi foeminae ablata, dispositiones priscas ad morbos celerius et corpori muliebri funestius evolvi excolique docuit experientia, quam deficiente producendi facultate in sexu masculo. Quam quidem sententiam mammae et uterus ipse clarissime confirmant. Complures uteri affectiones morbosae, quaram vita, dum organi naturales erant functiones, latuit, defectione earum incipiente primum medici in conspectum veniunt, atque postquam prorsus recesserunt, subito summum insanabilitatis fastigium attingunt. Affectus eos, qui praecipue, quantam in foemineum organismum vim exerceat uterus, consensuales sic dicti, docent, jam admodum excultos incipiente evolutionis periodo corporis muliebris animadvertimus, quae haud raro, dum totum corpus laborat, initium capit. Testis est puella, quae antea florens vigensque jam universalis debilitatis signa prodit, cum sensibilitate morbosa et corporis incitabilitate, quae non raro ad affectiones convulsivas accrescit, neque ullus cogitari potest morbus, praecipue ex eorum ordine, qui morbosis abdominis affec-

tionibus nituntur, quem vel solum aut conjunctum cum aliis, antequam menstrua proveniunt, medici non observaverint. Eodem modo, conceptionem esse factam, saepe aut fere semper ex affectionibus ventriculi aliisque similibus affectionibus cognoscimus, quae viscus abdominis quoddam morbose pressum indicant, cephalalgia, cerebri affectionibus, functione organorum pectoris laesa, anomalis mammarum sensationibus, ut paucis dicam, universo totius corporis malo, uteri incitationem, dum functio ejus plane naturalis sit, consecuto. Neque vero hi affectus, qui graviditatem normalem indicant, a graviditate extrauterina absunt, sive sit foetus in organo ad systema genitale pertinente, sive in abdominis cavitate, quia hic vasorum actio pariter est aucta, non solum vasorum uterum nutrientium, sed etiam vasorum, quae in parenchymate sunt hujus organi, quod ex uteri amplificatione in hujusmodi casibus, saepe ultra tertiam partem facta, clarissime apparet. Quae quidem phaenomena consensualia, sicuti differentibus functionibus physiologicis, alia atque alia conspiciuntur, ita diversissimo modo uterus vim in corpus foemineum exerit statu pathologico et plerumque malum consensuale multo penitius vitam mulieris offendere solet. Quemadmodum illic causa ejus transitoria tantum est, ita hic mutationibus morbosis nixa, removeri et exstingui non potest, quam ob causam non raro accidit, ut valetudo aegrotae non solum valde dimi-

nuatur, sed etiam praemature vitae finis inferatur. Etiamsi negari nullo modo possit, satisque sit cognitum, diutius, imo per totam vitam summas uteri ejusque partium degenerationes adesse posse, quin valetudo ex aliqua parte violari videatur, interdum tamen minimo opus est momento, fere nihili aestimando, quo organicum malum, sensim sensimque excultum, ad vitam radicitus evertendam reddatur aptissimum. Cujus quidem generis observationes, dum in nosodochio caritatis Berolinensi, quod summorum doctissimorumque virorum auspiciis floret, medici inferioris munere fungebar, instituendi saepissime oblata est occasio, atque operae pretium duxi, has a me factas observationes in dissertationis formam redigere, praesertim, quum multa desiderari adhuc in anatomia pathologica uterique physiologia, ex his nostris autem, quantulacunque sint, multa, haud quaquam negligenda, concludi colligique posse, censeam.

OBSERVATIO I.

Anamnesis. C. D. ancilla quadraginta septem annos nata, laxioris corporis, temperamenti sanguineo-phlegmatici, nunquam partum enixa et hucusque quovis lunari tempore menstruata, ante annos sex tumorem supra pubem, in regione hypogastrica, animadvertit, qui, neque causa manifesta, neque morbo ullo praegresso exortus, tarde increvit, nec unquam morbum commovit, nisi fluxum sanguinis menstruum exinde imminutum huc referre velis. A medio autem mense Augusto aegrota vomitu, initio rariore, demum frequentiore laborat, qui non modo fluido cuique fere frigido assumto, sed cibis etiam solidis et calidis, causa externa deficiente, succedit. Symptomate isto pedetentim saepius intrante aegrota magis magisque sollicita, in Nosocomium Caritatis Berolinense die duodecimo mensis Octobris anni millesimi octingentesimi vicesimi noni recepta est.

Status praesens. Exploratio abdominis externa docuit, tumorem illum magnum a regione umbilicali incipere, parte superiore ad latus sinistrum vergere et globosum, durum, pedetentim ambitum decrescere, ad pelvim minorem mediam descendere, ita ut pars inferior percipi non posset, nisi per vaginam, in qua segmentum uteri inferius integrum, molle, elatum autem atque ad latus promontorii sinistrum erat positum. Tumoris istius situs neque per abdominis integumenta, neque per vaginam

mutari potuit. Aegrota in tumore ipso nec unquam dolores ullius modi sensit, neque etiamnum sentit, vomitum autem fere continuum graviter conqueritur, quem salivae motus semper indicare et horripilationis sensatio, a ventriculi regione incipiens et totum per corpus dimanans, subsequi solet. Praeterea gravi quadam et molesta ventriculi sensatione, dolori proxima, aut cum eodem conjuncta, inter vomitum cruciatur aegrota. Macies omnium corporis partium satis jam perspicua redditur, quod alimenta in ventriculo non manent, sed cruda per os rejiciuntur. Sitis ingens fere inexplebilis. Respirationis organa bene funguntur muneribus, urinae se- et excretio nihil est turbata, persaepe autem tenesmo [1]) premitur aegrota. Pulsus paullo concitatus, celer et frequens, aequalis et facilis compressu. Praeterea neque fluore albo, nec haemorrhagia uteri unquam, sed tantum interdiu alvi obstructione se laborasse, sex abhinc hebdomadibus citra notam causam vomuisse, et doloribus ventris, menstruationem forsan praesagientibus, cruciatam esse refert aegrota.

Decursus morbi. A tempore inde, quo aegra in Nosocomium Caritatis recepta est, querelas tam accurate conscriptas in libellis meis inveni, ut accuratius recognitas apponere possim. Quum autem crediderim, placiturum quibusdam, si historiam, qualis in libellis reperiatur, communicaverim, ne quidpiam forte omisisse videar, his satisfeci omniaque e notatis excerpsi, ne formulis quidem medicaminum omissis.

XII. Octobris. Curatio symptomatica instituta est. Data est: Saturatio kali carbonici ex Unciis sex cum aquae laurocerasi Uncia dimidia,

---

[1]) cf. C. *Wenzel*, Krankheiten des Uterus. Mainz 1816. p. 68.

ut omni bihorio summeretur cochlear majus. Quum vero medicamen istud semper efficeret vomitum, altero die omitti necesse fuit.

XIV. Octobris. Haud meliore successu adhibita sunt: Natri carbonici ʒjj et Acid. tartarici ʒß, Elaeosacch. menthae ʒjjj, ter per diem cochlear minus sumendum. Vomitus eodem gradu, dosi unaquaque assumta, rediit, sed, quod memoratu dignum, alimenta calida, et solida et fluida, praecipue corpore in lectulo alevato, melius ferre coepit aegrota, quam frigida. In balneo calido, quod imperatum erat, aegrota deliquium animi passa est, quare in posterum est omissum. Sensibilitas ventriculi male aucta perstitit et assidue medicamina interne adhibita per os rejiciebantur.

XVII. Octobris. Enemata sensibilitatem minuentia adhiberi placuit, nimirum ex solutione Extracti belladonnae granorum duorum parata; duo per diem applicabantur.

XVIII. Octobris. Enemata dicta hodie repetebantur, neque vero ullum levamen obtinuit aegrota.

XIX. Octobris. Omissis superioribus, tincturae opii simplicis guttae quatuor, cum saccharo albo omni trihorio summendae, sunt datae. Medaciminis hujus, licet tres per dies continuaretur, effectus nullus observari potuit. Vomitio quorumcunque ingestorum semper rediit, praeterea vero nihil accusavit aegrota, nisi debilitatem universi corporis magis magisque augescentem, sitim permagnam, somnum inquetum.

XXIII. Octobris. Jam vero aegrota, omnibus his medicaminibus frustra adhibitis, neque meliore cum successu (XXVI. c. m.) infuso Croci cum Tinct. Ambrae et Aqua Cinamomi vinosa propinato, a die XXVII. c. m. Acido hydrocyanico, dosi quamquam minima et paulo tantum diluta, prae-

scripto, usque ad finem mensis utebatur. At etiam his remediis resistebat morbus, praesertim quum aegrota, quaecunque caperet, statim vomitu ejiceret. Prostratio virium magis magisque aucta, animus in dies tristior, pulsus continuo frequens apparuit, sitis difficulter et invita muliere expleta est, quia vomitum accerrimum excitabat.

XXXI. Octobris. Itaque Oleum amygdal. aether. et interne in forma Elaeosacchari, pro dosi gtt. ß horis alternis, et externe in forma linimenti cum Oleo papaveris, ut ventriculi regioni infricaretur, datum est. Elaeosaccharum quamvis ceteris antea adhibitis medicaminibus melius exciperet ventriculus, et quamvis dosis Ol. amygd. aether jam die sequente ad gtt. j adaugeretur, nullo modo mutatatus est morbus. Aegrota perpetuo febricitans, pulsu parvo, molli debilique, quidquid ciborum vel potuum hauriret sive majorem copiam, sive minorem vomitu edidit. Nunc etiam, uti antea, salivae colluvies in ore singulis antecessit insultibus, quos horripilationesque, a ventriculi regione exortae, inde totum per corpus diffusae, eum terminabant. Aegrota, hucusque quieta, et propinquam valetudinem sperans, jam inquieta rogat de restitutione adstantes dubitat, propereque laudat naturam constitutionemque corporis robustam, ipsaque sibi id, quod maxime desiderat, persuadere studet. Somnus inquietus, somniis anxiis interceptus, appetitus, quamvis ventriculus admodum sensibilis, optimus erat, frequentes accedebant tenesmi. Elaeosacchari dosis aucta, ut ternis horis pulverem sumeret, guttas ol. amygd. duas continentem. Gestus magis magisque auxii, aegra in lectulo corpus jactitat, interdum garrula est, imo adstantes jocose rediculeque dictis oblectat. Sensim sensimque vero memoria deficit, praesentia et anteacta confunduntur,

imaginandi facultas turbatur: interdum tamen somniis expergefacta, obstupescit et sana mens veritatem videt. Hoc tempore oculi vitri instar micant, subsidunt et languescunt, excavantur tempora, facies collabitur, nasus prominet, labiorum et menti superficies mirum in modum aspera, rubra, inflammata, tensa, rimosa, ita ut aegrota invita mente labia lambat, aut tensam cutem prurientemque aqua humectet. Vomitus manet, sed, mirabile dictu, Infus. Coffeae et cerevisia, potus igitur calidus et frigidus, non ejiciuntur, quamquam satis magnam hausit copiam: nam quum lingua et pharynx semper arescant, et multa et saepe bibit aegrota.

V. Novbr. Pulveres semper vomitu reddit, et, aucta Olei Amygdal. amar. dosi ad gtt. jjj, molestisque vomiturionibus ortis, pulverem cum multa viridi aqua et inodora vomit. Itaque interne nonnullos per dies nihil propinatum.

VIII. Novbr. Vires magis magisque deficiunt, corpus collabitur, deliria, quamquam vomitus minuitur, increscunt; moesta non est sed alternantibus semper jocosis ideis, aegrota tristitiam obliviscitur. Pulsus frequens, mollis tamen et regularis, tenesmus frequens. Mingendi difficultates non adsunt et menstruatio[1]) more solito provenit. Datus pulvis aërophorus e Natro carbonico acidulo, Sale essentiali Tartari et Saccharo albo, cujus pauxillum quandoque sumsit, initio libenter et sine molestia, deinde autem invita, ructans et vomens. Asperitas faciei manet, contra quam unguentum pomatum imperatum est. Talis fuit aegrotae conditio usque ad XVI. Novbr. Jam vero deliria acriora evaserunt, et quanquam non tristia erant, aegrota tamen

---

[1]) *Boehmer* Observ. anat. rar. fasc. II. obs. VI. pag. 63. tab. VII. *Boencken* Fränk. Samml. B. 6. S. 397.

noctu saepe in lecto allevat corpus, vestes postulat et lectum relictura, ad nuptias se properare, ad saltationes, ad spectacula, aut quocunque demum, dicit; gestus ejus rapidi sunt, donec debilis et exhausta in lectulum relabatur illamque albo viridem inodoram sine molestia edat aquam. Facies matutino tempore valde collapsa, artus trepidi, cutis ardens, aspera et sicca, pulsus frequens, parvus, debilis, fere filiformis, lingua rubra, arida, aegra segnis, modo ex parte obtecta, capite supino, brachiis disjectis, pedibusque retractis, jacet. Somnus usque ad meridiem satis quietus. Pulverem aërophorum tenaciter respuit, quapropter data sunt:

Rec. Extract. Stramonii gr. ß.
Sacch. cand. ℈ß.
Ter pulvis singul. diebus.

Initio pulvis sedare videbatur, mox vero hic effectus evanuit et omnia eadem apparuerunt, aegrota modo debilior. Cuticula oris furfuris instar secessit, pulsus frequens, cutis vespertino tempore nec non lingua arida, siccaque; deliria eadem, modo ob summum virium defectum minus alacria. Multum dormiebat, quamquam inquieta, et submisse locuta. Vomitus rarus et nocturnus tantum. Per maximam diei partem somnus urgebat, sudores locales in variis corporis partibus, vultus languidus, situs ignavus, pulsus tremulus, vix manifestus. Sub vesperam potum poposcit brevique tempore post obiit mortem.

Sectio cadaveris. Aperto ventre, uterus amplae magnitudinis apparuit, ultra altitudinem solitam eminens fere usque ad umbilicum. Fundi forma paululum mutata, ambitus valde amplificatus. Collum uteri et corpus densatum et multis, modo par-

vis, modo majoribus tumoribus quasi conspersum[1]), quorum maximus virilis pugilli magnitudinem habuit, deorsum et retrorsum spectans et fere totam explens pelvim minorem, per petiolum corpori uteri annexus et in ipso intestino recto positus. Juxta eum, dextrorsum magis, alter dimidiae magnitudinis tumor apparuit. Uterque lapidis duritie erat et difficilis dissectu. Ejusdem generis uteri substantia in incisurae superficie puncta ossificata obtulit[2]). Uteri cavitas deorsum ore tincae plane clausa, viridi, acri et pessimi odoris ichore repleta[3]) (Cancer clausus). — Portio vaginalis uteri, vagina ipsa nihil praeter normam habuerunt, aeque ac ovaria et tubae Fallopii. Caetera et abdominis et pectoris organa normalia.

OBSERVATIO II.

E. G. Militis vidua, sexaginta septem annorum, recepta est in valetudinarium caritatis Berolinensis, at de priore valetudine ob nimiam debilitatem sensuumque oppressionem prohdolor! rationem reddere non potuit. Recepta abdominis tumescentia laboravit, quae tumore supra regionem pubis exorto producta videbatur. Corpus aegrotae superne emaciatum, extremitates oedematosae, respiratio difficilis, tussis frequens sicca et sine doloribus. Aegra capitis dolores conquesta est acerrimos; pulsus febrilis. Caeterae functiones, praecipue systematis uropoetici et recti, naturalis. Tertio post receptio-

---

1) cf. *Wenzel* l. c. pag. 69. — *Baillie* Anat. d. krankh. Baues, aus d. Engl. übers. v. *Sömmering*. Berlin 1794. §. 213.

2) cf. *Wenzel*, pag. 68. 69.

3) cf. *Wenzel*, pag. 78. 79. 80. — *Gerlach* in *Stark's* Archiv für Geburtsh. B. 6. S. 556.

nem die deliria exorta, inter quae animam aegrota exspiravit.

Sectio cadaveris. Revolutis integumentis abdominis corpus quoddam in conspectum venit, magnitudine capitis adulti hominis. In inferiore parte fluctuatio percipi potuit, superior pars duritie fuit steatomatosa. In lateribus conspectae tubae Fallopii et ovaria, partem istam esse uterum, demonstrabant. Dissecto hoc corpore, permultum liquoris foetidi, decoloris, profluxit e loco antea fluctuante (cavitate scilicet uteri). Superior pars durior verum erat steatoma [1]), cujus cystis tam arcte cum exteriore uteri membrana conjuncta fuit, ut antea pro uno corpore haberentur. Pondus uteri (effuso jam fluido, quod cavitate uteri inclusum fuit) et steomatis fuit ℔. v et ℥v. — Reliqua organa et abdominis et pectoris nihil abnorme retulerunt.

OBSERVATIO III.

E. M. triginta duos annos nata, gracili debilique corpore, et cachectico habitu, nunquam, neque puerili aetate neque serius, postquam anno decimo quinto menses optime successerunt, usque ad annum vicesimum, quo primum concepit, morbo ullo se laborasse dicit. Graviditas et partus ad normam responderunt, neque quidquam aegrota habet, quod causam mali praesentis accuset; ex eo tempore menses, lactatione finita, duos per annos fluxerunt usque ad graviditatem alteram, quae et ipsa graviditas ita transiit, ut noxius ejus effectus in aegrotam animadverti non posset, neque in partu, quamquam priori difficilior erat, artis auxilium necessa-

---

[1]) cf. *Otto* Hdb. d. path. Anat. Bresl. 1814. pag. 365. — *Blasius* Observ. med. pr. I. No. 7.

cessarium. Jam vero, quum plures per annos optima fructa esset valetudine, interdum pungentibus doloribus regionis pubis intercepta, menstrua, postquam hucusque naturalia fuere, a norma decesserunt, solito citius redeuntia, diutius copiosiusque fluentia, quibuscum dolores frequentiores acrioresque invaserunt. Elapso circiter trimestri, dolores cesserunt acriores, pungentes et ardentes, effluvium e vagina continuum, coloris rubelloflavi, corrodens et pessimi odoris, non raro capiosum; pluries jam exiguum corporis motum magnae metrorrhagiae sunt secutae, quam ob causam aegrota die nono Octobris tandem auxilium medicorum nosocomii caritatis Berolinensis imploravit. Exploratio, per vaginam facta, non solum vaginae parietes, sed etiam portionem uteri vaginalem ulceratione carcinomatosa esse affectam, docuit. Valetudo minus tantum turbata videbatur, quam ut labes ejus diuturnitati et amplitudini morbi responderet. Febris jamjam perspicua. Praeter Acida vegetabilia, cum potu data, aegrotae propinata sunt: Extr. calendal. ʒjj. Vae Lauroceras. ℥jjj. Ternis horis cochlear minus. Additum deinde Extr. opii Vos. ℈j. Externe injectiones in vaginam factae ex Infuso ℔jj. Flor. Chamomill., Hb. Cicutae, Hb. Hyoscyam. āā ℥j.

Quamquam aegrae initio aliquid spei affulsit, tamen in pejus data est valetudo. Jamjam appetitus nullus, respiratio brevis, celeris, anxia, difficillima et quovis vespere febris, quae mane copioso et debilitante sudore terminari solebat. Sic morbus increvit et XXVII. d. Octobr. mors irruit, postquam ulcus carcinomatosum vix per annum exstiterat.

Sectio cadaveris alteram uteri partem cartilaginosam, alteram ichore solutam ostendit. In superiore parte foramen erat parvum, quo parum ulce-

ris secreti in pelvim de fluxerat [1]). Hepar decoloratum, lividum, passim tuberculis obtectum. Pulmones integri.

OBSERVATIO IV.

C. W. quadraginta annos nata, mercenaria, constitutione corporis debili, inde a decimo septimo aetatis anno menstruis norma fluentibus gavisa est usque ad vicesimum et valetudine optima. Nupta per annos quatuordecim difficili partu undecim edidit infantes, imprimis ultimus partus magna cum haemorrhagia conjunctus erat. Nihilominus bene se habuit usque ad annum praeteritum, quo ter metrorrhagia, valde debilitante, corripiebatur, per intervalla dolores in regione pubis conquesta est, qui in dies acriores, denique urentes, tanquam in abdomine carbones essent ardentes, evaserunt quibusque novissimo tempore effluvium foetidum, sero sanguinis haud dissimile, sese adjunxit, acre et corrodens. Praeterea anorexia continua et macies summa aderant. Facies macra, collapsaque in nosocomuim receptae ingens expressit malum, quod exploratio comprobavit. Portio enim vaginalis tumida, dura et ulcere carcinomatoso fere deleta, ita ut ulceris finis tangi non posset. Anterior vaginae paries usque ad labia minora excoriata. Alvus tarda, febris alacris. Curatio molestias minuere studuit, at quatuor diebus post sudore profuso madescens mortua est.

Sectio cadaveris. In thoracis cavitate multum aquae, sani pulmones et cor. Neque minus integra viscera, utero excepto, abdominalia, cujus fere tota substantia cartilaginosa, in parte inferiore ulcere

---

[1]) cf. *Wenzel,* pag. 34. Anmerk. 14.

carcinomatosa deleta, perinde ac vagina et anterior recti paries [1]), ita ut singularum partium cavitas unam efficeret cloacam.

OBSERVATIO V.

Ch. R. triginta quatuor annos nata, constitutione laxa, quum in nosodochium reciperetur caritatis Berolinense, uteri carcinomate laboraverat duos per annos, unde febris hectica et per nimias haemorrhagias debilitas maxima inciderat, ita ut paulo post diem obiret supremum.

Sectione instituta, pectoris organa normalia apparuerunt, hepar autem et pancreas simul cum glandulis meseraicis [2]) valde amplificata et indurata; uterus et cum vesica urinaria et intestino recto concretus. Pars uteri inferior ulcere deleta. Fistula e vesica urinaria in uterum urinam demisit, qua de causa ichor ex utero fluens aegrae viventis redolebat urinam. Ovaria permagna, indurata et steomatosa.

OBSERVATIO VI.

W. W. Sectio cadaveris viduae, carcinomate uteri consumtae, ostendit haec: Portio vaginalis fere tota, collum uteri prorsus deletum, ita ut utero cum illa minimus tantum intercederet nexus. Destructio carcinomatosa non solum ad has partes, sed etiam ad vaginae parietem anteriorem induratum, et rectum, usque ad vertebras lumbales carcinomate deletum, perrexit, et quo fistula in vaginam [3]) patuit. Glandulae mesentericae valde induratae, visu lividae. In intestinis tenuibus ulcuscula, marginibus adesis praedita, dispersa. In colo plu-

---

[1]) cf. *Wenzel*, pag. 99. 100.

[2]) cf. *Wenzel*, pag. 100.

[3]) cf. *Voigtel* Handb. d. path. Anat. pag. 447.

res erant stricturae. Caecum permagnum, amplitudine ventriculum superavit[1]). Ventriculus ipse, hepar et lien normali structura gaudebant, ejusdem indolis fuere renes [2]), quorum in dextro receptaculum unum, crassa membrana vestitum, aquam continens cum pelvi renali et uretere ejusdem lateris conjunctum, qui aqua repletus, pollicis unius diametrum habuit[3]). Pulmones naturales, sine sanguine, collapsi, pericardium pauxillum seri continuit. Cor parvum, durum, contractum.

OBSERVATIO VII.

El. T. sexaginta sex annos nata jam multos per annos abdominis affectionibus laboravit, quae modo dolores, modo gravitatis sensationes in pelvi sese ostenderunt. Ichore foetido ex utero copiose fluente et intercurrentibus haemorrhagiis et diarrhoea hecticàque febre aegrota ita erat debilitata, ut duobus mensibus post vitam exspiraret.

Sectione cadaveris lege artis facta pulmones paulum concreti cum costis et tuberculosi, hepar omnino induratum, in partibus autem ejus parenchymatis hic et illic tubercula alba, subrotunda, steamatosa, pancreas scirrhosum apparuerunt. Uterus permagnus, durus cum proximis organis concretus, ejusque collum fere dirutum. Ovaria ampla et dura.

OBSERVATIO VIII.

Fr. Z. septuaginta annos nata, sutoris vidua, ex anno metrorrhagiis periodicis, quarum novissima

---

1) cf. *Meckel* Handb. d. path. Anat. Bd. 2. S. 291. et sqq.

2) cf. *Wenzel*, pag. 100.

3) cf. *Wolssriegel* Miscel. nat. cur. dec. I. obs. 43. — *Morgagni* Dec. II., an. VI. obs. 234. — *Voigtel* Hdb. d. path. Anat. B. 3. pag. 193. et sqq.

quatuordecim dies ante exorta erat, quam recipiebatur, maxime debilitabantibus, laboravit. De anorexia, cardialgia simulatque cibi potusve aliquid sumserit, tussi alacri siccaque est conquesta. Febri lenta, quum reciperetur, jamjam laborabat. Docuit exploratio per vaginam, carcinoma adesse, quod quousque sit extensum, satis perspici non potuit. Secretio ichorosa, corrodens et foetida. Curatione adhibita symptomatica, malum paululum quidem levatum, vires tamen ita prostratae sunt, ut tribus hebdomadibus post diem obiret supremum.

Cadavere inciso, pulmones cum pleura concreti inveniebantur, praeterea nihil abnorme. Abdominis organa, praeter uterum et partes proximas, normalia. Ille quidem induratus et cum intestino recto concretus, ejusque cavitas ulcere carcinomatoso exesa et deleta simul cum pariete recti anteriore, ita ut commercium inter utrumque existeret.

OBSERVATIO IX.

Fr. Ch. vidua chirurgi, quadraginta annos nata, carcinomate uteri aegrotans in nosocomium recepta est. Mox diarrhoea accessit colliquativa et oedema pedum. Curatione adhibita symptomatica, melius initio se habuit, mox tamen, malo atrocius irruente, noctu tussis acerrima cum sputis puriformibus, dolores asthmatici et sensationes constrictionis colli accesserunt, quae paulo post mors secuta.

Reperta post sectionem haec sunt: Pulmonum posterior superficies tuberculosa, inferior sinistri pars concretionem ligamentosam obtulit cum costa sexta. Pericardium seri aliquid continuit, cor sanguine repletum. Hepar maximum lividique coloris sine sanguine. Vesicula fellea amplissima et repleta, cholelithum, circuitu ductus cystici annexum, continuit. Omentum, mesenterium et intestina pin-

guedine repleta. Uteri fundus, cartilaginosus spissusque, paulo inferius plane nigricans et pessimi odoris. Collum uteri, quamquam aderat, villosum et pulti simile. Vagina nullo laborabat vitio, nisi quod in superiore parte, collum uteri circumdante, nigri erat coloris.

OBSERVATIO X.

Fr. O. vidua triginta octo annorum, valido habitu, jamdudum irregularibus laborabat menstruis, quae mox prorsus cesserunt. Eorum in locum fluor albus successit, qui mox profusus et malignus factus, interdum cum foetida sanie fluxit. Praeterea aegrota doloribus ex osse sacro procedentibus, usque ad regionem pubis pertinentibus, erat affecta, qui ex eo tempore, quo menstrua non redierant, acerbitate creverunt. Jam vero, quum in nosodochium Berolinense esset recepta, exploratio docuit, partes vaginae posteriores portionemque vaginalem uteri carcinomate esse destructas; effluvium ichorosum et foetidum. Valetudo parum turbata, nonnisi dolores acres interdum et alvi obstructionem aegra conquesta est. Curatione palliativa apte adhibita, malum in pejus non abiit duos per menses. At quum interdum haemorrhagiae essent ortae copiosae, vires magis magisque deficerent, assimilatio esset prostrata, febris hectica in dies cresceret, quid mirum, quod mensibus quinque elapsis mors vitam abstulit.

In pectore praeter pallorem universum omnia naturae respondebant. Abdomine aperto, apparuerunt haec modum naturalem excedentia: Inferior uteri pars ulcere carcinomatoso destructa, fundus maximus, induratus et cum vesica urinaria concretus. Pancreas scirrhosum, ovaria amplissima et indurata.

OBTERVATIO XI.

Ch. B. ex carcinomate uteri aperto mortua est febri hectica. Sectione instituta, omnia et pectoris et abdominis viscera optima reperiebantur praeter uterum, adjacentibus cum organis concretum, cujus portio vaginalis et cervix cum intestini recti pariete anteriore ulcere plane erat deleta, ita ut corpus uteri et vagina omni carerent nexu Mirum sane erat, quod in partibus proximis, quamquam a posteriore et anteriore uteri superficie in pelvim minorem ichor defluxerat, inflammatio haud animadvertebatur [1]).

OBSERVATIO XII.

L. S. Carcinomate uteri laborans, in nosocomium est recepta, quocum affectiones pectoris inflammatoriae erant conjunctae, quibus sublatis, vomitus spontaneus creber intrabat, ut deliquia animi orirentur. Tribus mensibus post, extincta omni vi vitali, mortua est.

Incisio uterum scirrhosum, portionem vaginalem plane carcinomatosam et ichore deletam docuit. Paries vaginae posterior destructus. Intestinum rectum inde ab orificio ani ad pedis dimidii longitudinem eodem modo induratum, crassum et carcinomatosum.

OBSERVATIO XIII.

P. S. annos nata quadraginta, mortem obiit carcinomate uteri, quod non modo istius collum sed etiam parietem vaginae anteriorem et vesicae urinariae posteriorem ita deleverat, ut communicatio inter utramque exorta esset. Corpus uteri,

---

[1]) cf Observat. III.

tubae Fallopii et ovaria, praecipue in latere dextro, unum corpus effecerunt [1]), ita ut singulae vix discerni possent partes. Macies et tabes organorum abdominalium maxima. Intestinalia ulcera nulla. Rectum autem usque ad S Romanum carcinomatosum, Pulmones collapsi.

OBSERVATIO XIV.

A. G. Carcinomate uteri, febri hectica adjecta, consumta est. Pectoris et abdominis viscera sana reperta, excepto utero, qui valde amplificatus magnitudinem pugni exhibuit, et carcinomatosis ulceribus degeneratus fuit. Haud minus ovaria, quae tubis Fallopii quasi implicata, utero appressa inveniebantur [2]). Uteri ipsius cavitas aderat, canalis autem, quo cum tubis commercium habet, plane concretus [3]). Rectum usque ad curvaturam prope os Ilium pari modo destructum.

OBSERVATIO XV.

M. M. vitae extremo tempore saepissime haemorrhagiis laboraverat profusis ex partibus genitalibus, ita ut summa debilitas esset consecuta, et mors immineret [4]).

Sectio mira obtulit phaenomena; portio enim vaginalis prorsus deleta, parietes vaginae adesi. Uterus rudis indigestaque moles esse videbatur steatomatosa, coloris albi, omnique cavitate caruit [5]). Unde autem originem traxerint haemorrhagiae,

---

[1]) cf. *Wenzel*, pag. 35.

[2]) cf. *Wenzel*, pag. 35. Anm. 16. tabula III. V.

[3]) cf. Id. tab. V. fig. I. pag. 94. tab. IV. pag. 100.

[4]) cf. *Wenzel*, pag. 122.

[5]) cf. Id. pag. 72. tab. XI.

nullo modo apparuit. Ovaria valde degenerata, dura, haud amplificata.

OBSERVATIO XVI.

C. H. mercatoris vidua, paralysi extremitatum inferiorum laborans, sensim sensimque febri hectica consumta est.

Sectio cadaveris haec exhibuit: omnia normalia, sinistrum ovarium naturale ab omni parte, dextrum vero in loco uteri repertum [1]), ad ovi gallinacei amplitudinem extensum. Quo forte incisio, fluidum prorupit aquosum, quod massa spermati ceti similis secuta est. Interior ovarii hujus pars pilis obsita, qui singulari illa materia circumdabantur. In interna parietum superficie passim ossificationes exstiterunt.

OBSERVATIO XVII.

J. S . . . quadraginta sex annos nata, phthisi laborans recepta, postquam tussis acerrima cum sputis purulentis, respirandi difficultates et alia symptomata, quae in ultimis phthisis pulmonis esse solent stadiis, diu cruciarant eam, diebus quatuor praeteritis, mortua est. At pulmones, ut sectione instituta apparuit, pallidi tantum, ceteroquin normales. Eodem sano statu gaudebant viscera abdo-

---

[1]) cf. *Columbus,* De re anat. l. 15. pag. 495. — *Bousquet,* Journ. de Med. 1757. t. 6. pag. 128. — *Meyer,* in *Schmucker's* verm. Schrift. B. 2, S. 299. — *Klinkosch,* G. Hill. diss. de utero defic. Pragae 1777. übers. in *Weiz* neuen Auszug. B. 11. S. 18. — *Engel* diss. de ut. def. Regiom. 1781, in *Metzger's* verm. Schrift. B. 2. S. 222. — *Walter,* D. de obstet. eunonch. Lips. 1729. — *Morgagni*, Epist. 44 §. 13. — *Fromond,* Imperfor. mulieris prorsus carent. observ. anat. Cremon. 1744. — *Theden*, En. act. nat. cur. t. 6. obs. 22. p. 105. — Ejusdem Bemerk. u. Erfahr. B. 2. — *Hemmann,* Med. chir. Aufs. Berl. 1778. p. 224. — *Boyer,* Mém. de la societ. medic. d'emul. t. 2. N. 19.

minalia, utero excepto, qui paulo erat amplificatus, cujusque in dextro fundi latere tumor cysticus exstitit.

OBSERVATIO XVIII.

R. K. sexaginta duos annos nata, infantes plures enixa, habitu phthisico, recepta in nosodochium propter phthisin pulmonum, cujus jam ultimum stadium praegressam pectoris inflammationem erat subsecutum. Sputa purulenta, copiosa. Mox vitae finem mors posuit.

Incisio pulmones cum pleura esse concretos docuit et ulceratos, vasa magna ossificata. Praeterea steatoma in fundo uteri ovi columbini magnitudine repertum.

OBSERVATIO XIX.

Ch. W. quadraginta octo annos nata, valido habitu, quae semper optime valuerat, delirio tremente ex abusu spirituosorum decubuit, quod, quamquam est sublatum intra octo dies, reversum nono die, validissima remedia eludens, aegrotam sustulit. Supremo die maximae incitationi successit sopor, quo excitari nullo modo potuit aegra.

Vasa durae matris sanguinis erant plena, in ejus superficie exsudatum gelatinosum. Cerebri ventriculi aquae continuerunt pellucidae circiter sex Uncias. Hepar ad lienem porrectum, hunc obtexit, ejusque lobus dexter de transverso, uti per vim externe adhibitam, impressus, pondus Lb. V et ß, ceteroquin color subflavus et substantia sicca. Omentum et abdominis integumenta pinguissima. Vesica urinaria [1]) permagna, circa superficiem internam rubra. Superficiei uteri internae steatoma ovi gallinacei magnitudine adhaesit. Cetera normalia.

---

[1]) cf. *Wenzel*, pag. 98. 99.

OBSERVATIO XX.

M. T. conjux lapicidae, quinquaginta annos nata, quae ante triennium tinea favosa laborans in nosocomio curata erat et ante biennium ob maniam universalem in eodem degerat sex menses; propter phthisin pulmonum, quacum diarrhoea inveterata, nulli medicamini cedens, erat conjuncta, denuo est recepta, quam secutae emaciatio et febris hectica vitam abstulerunt.

Aperto abdomine, viscera normalia, sed utrumque ovarium ulceratum, praetera dextrum, quocum processus vermiformis conjunctus erat, exulceratione affectum intestinum rectum arctissime cum utero concretum, maxime marcidum, fere gelatinosum, interna superficie ulceratum. In anteriore superficie uteri, fere virginei volumen habentis, intumescentia globosa, quae peritonaeo obducta, satis dura erat et resistebat. Tumore inciso steatoma apparuit, cujus interior textura alboflava et adiposa erat. Dum incidebatur tumor, strepitus audiebatur, tanquam cartilaginem incidas. Tumor ipse anteriori uteri superficiei adnatus, proprium habuit involucrum, ita tamen, ut contenta per se constantia pressione applicata facile e capsula procederent. Portio vaginalis nulla, ejus loco superficies glabra planaque, media continens parvulum foramen, alioquin non conspiciendum, ex quo pressione adhibita mucus puriformis profluxit.

OBSERVATIO XXI.

Fr. N. In nosocomium talis recepta est, ut neque de priore, neque de praesente valetudinis statu rationem satis reddere posset. De pectore tantum est conquesta. Respiratio difficillima, tussis continuo acerrima, raucedo maxima. Abdomen

valde tumidum, ceterae corporis partes, praecipue extremitates pinguedine rigentes. Fluctuatio nulla. Pulsus parvus, praeterea regularis. Aegrotae situs horizontalis tussim continuam excitabat, victus, ovo excepto, nullus; nihilominus debilitas nequaquam aderat. Remediis frustra datis, aegra quatuordecim diebus post mortua est.

Sectione facta, cor magnum, marcidum, ruptu facile et multa pinguedine circumdatum; marcidi pulmones. Eodem modo intestina et mesenteria pinguedine rigebant. Omnia cetera organa marcida, ruptu facilia et pinguia. In vesicula fellea decem aequales calculi triangulares, magni. Parieti uteri posteriori tumor lapideus ovi gallinacei magnitudine adhaesit, qui non nisi scalpro contundi potuit. Ovaria dura, degenerata, uterus ipse nihil praeter normam habuit.

VITAE
ET STUDIORUM CURSUS.

Ego Fridericus Augustus Moritz, confessioni evangelicae addictus, natus sum Martisburgi, urbe Saxoniae, anno MDCCCIV die XV. mensis Auguti, patre Joanne Christiano, matre Christiana Charlotta, e gente Hermenthaliana, quos carissimos parentes adhuc salvos me intueri, gratissimo animo inter summa Summi Numinis refero beneficia. Primis litterarum elementis institutus sum a praeceptore, verbi divini ministro, Blankmeister, cujus diligentiam in me erudiendo adhibitam, praeter alia in me collata beneficia, quin collaudem, non dubito. Anno aetatis XV patriae urbis gymnasium adii, ubi sex per annos sum versatus. Anni MDCCCXXV mense Aprili inter Instituti Medico-Chirurgici Friderico-Guilelmiani cives receptus, rei medicae, quam prae ceteris amo, quantum potui, per quadriennium operam navavi et hisce Illustrr. et Cell. Virorum praelectionibus, nec non exercitationibus clinicis interfui: De hodegetice, psychologia et logice Cel. Wolff; de historia naturali, botanice et toxicologia Illustr. Link; de zoologia Illustr. Lichtenstein; de plantis officinalibus Cel. Schulz; de physice, chemia et pharmacia Illustr. Hermbstaedt et Cel. Turte; de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et foetus, de entozois et physiologia Illustr. Rudolphi, de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et medicina forensi Illustr. Knape; de arte autem cadavera rite dissecandi Illustr. Rudolphi et Illustr. Knape; de physiologia tam generali quam speciali Cel. Eck; de pathologia generali, de semiotice Illustr. Fr. Hufeland; de pathologia

speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis Illustr. HORN; de materia medica Illustr. OSANN; de arte formulas medicas concinnandi Illustr. KNAPE, et Cel. CASPER; de ophthalmiatrice Cel. JUENGKEN; de therapia Perillustr. W. HUFELAND et Illustr. FR. HUFELAND; de arte obstetricia et fascias rite applicandi, de chirurgia generali, de morbis ossium primitus mechanicis Illustr. KLUGE; de medicina dentaria Cel. HESSE; de chirurgia universa Illustr. RUST; de akiurgia Illustr. DE GRAEFE, RUST et KLUGE disserentes audivi. Celsi de medicina et BURSERII institutiones Cel. HECKER mihi interpretatus est. Exercitationibus clinicis interfui, medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Illustrr. virorum W. HUFELAND, BARTELS, NEUMANN, DE GRAEFE, RUST et JUENGKEN. Atque ita studiorum cursu peracto, in Nosocomio Caritatis medici inferioris munere per annum functus sum.

Tentamine philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

Quibus peractis Confluentiae medici militaris inferioris munera suscipere jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Carcinoma locale existere negari nequit.

II.

Menstruatio, cavitate uteri deficiente vel clausa, existere potest.

III.

Laxantia sunt antisyphilitica.

IV.

Extractio lentis crystallinae omnium operandi methodorum optima.

V.

Vomitus gravidarum est morbus.

VI.

Non certum mortis signum, nisi putredo.

VII.

Syphilis congenita non existit.

VIII.

Febris puerperalis est peritonitis.

IX.

Nullus morbus sine symptomatibus.

X.

Inter amputationis contraindicationes non referenda est febris hectica.